

C A S U S

Ad Reverendissimos, atque Excellentissimos

SAC. ACADEMIÆ PATAVINÆ

T H E O L O G O S

Roma missus, ut Sententiam dicerent.

Quidam Vir eximia virtutis, simplex, rectus, ac rimens Deum, & admirandis operibus, ac miraculis clarus, nomine Sebastianus Apparitio, agnomine dictus Pyrausta, prope Etor atate in Novam Hispaniam soluit: ibique liber ab omni obligatione procedenti, & prope sexagenarius duas successive duxit puellas in uxores cum proposito, & significatione, seu protestatione servanda in Matrimonio Virginitatis, si possibile foret, ad exemplum purissimi Matrimonii Sanctissimæ Virginis Deiparæ, & Sancti Joseph Patriarchæ. Postquam igitur cum prædictis uxoribus, quatenus vixerunt, in virginitate vitam duxit, seculo valedicens facultate sua in pauperes distributa, Religioni nomen dedit, & plenus dierum, ac mirabilium, ad superos evolavit.

Queritur utrum in his male se gesserit: an potius heroica virtutis actus perfecit.

S U F F R A G I U M

MICHAELIS VERII

Th. Doct. Coll. & in Universitate Patavina

Publici Philosophiæ Professoris.

Quantum interit Sacra hujus Academia Patavina bonum, ac prudens in Causa Pyraustana iudicium, Reverendissimi, atque Excellentissimi Patres, illud, opinor, satis prodit, ac manifestat, quod cum doctissimis, gravissimisque totius Orbis Theologis, Parisiensibus scilicet, ac Salmantinis iudiciorum æmulatione suscipiatur.

Verum quamvis hoc argumentum summam a nobis attentionem efflagitet, illud tamen præsertim urget, atque sollicitat, quod duo præstantissima Collegii nostri ornamenta in discrimen vocantur, Ingenii in circumspiciendo sagacitas; & in deliberando, ac iudicando, virtutis, ac morum, quæ boni Viri partes sunt, decor, atque honestas.

Enimvero, quod præsertim spectat ad honestatem, quæ caput est, cum Religioni, ac sacrae Facultatis nos omnes nomen dederimus, illud maxime curandum esse videtur, ut ex iudiciis nostris germanæ, probatæque Theologiæ sensus, & sanctiores animi mores resurgant: ne forte dum Pyraustæ prudentiam ad examen traducimus, nos imprudenter, ne dicam impudenter egisse videamur.

Sed cum quo sint, quæ a nobis in Causa Pyraustana postulantur; alterum: Utrum duo Pyraustæ Connubia, cum proposito, ac protestatione servandæ in Matrimonio Virginitatis successive suscepta, valida fuerint; alterum: Utrum fuerint virtutis heroicæ ornamentis decorata;

Connubiorum Validitas adeo perspicua est, ut de illa nec disputandum, nec dubitandum quidem esse videatur. Cum enim Matrimonialis consensus aut cohabitationem, & individuum vitæ societatem respiciat; quod est bonum Sacramenti, significans unionem Christi cum Ecclesia; aut carnalem commixtionem, & prolis susceptionem, quæ ex D. Thoma in suppl. qu. 42. art. 4. in corpore non est, nisi de secundaria, seu extrinseca, & accidentali integritate Sacramenti, ut explicant doctissimi Salmantines in suo Cursu Theologico, aliique communiter Sancti Doctoris Interpretes; omnes utriusque Theologiæ, tum etiam Sacrorum Canonum Professores primum illum consensum ad Matrimonii Validitatem sufficere docent: dummodo pactum nullum præcesserit, quod jus connubiale, seu mutuum in corpora potestatem, ad matrimonii rationem necessario requisitam, violaverit, atque sustulerit: Nullum autem pactum, data fide firmatum in hisce connubiis intercessisse, ac præcessisse, ex vita Pyraustæ, & ipsa Facili Mirabilis narratione apertissime constat. Licet enim Doctores Parisienses propositum Pyraustæ expresserint nomine Protestationis; hac tamen voce simplex propositum, & voluntatis conditionatæ significationem intellexerunt: ut contextus ipse verborum satis prodit; & ipsa Facili narratio, ac vitæ historia, itemque Salmanticensis Universitatis expressio clarius manifestat. Protestatio ergo non fuit Forensis; quæ sonat: nec aliter, nec alio modo; sed communis, & communiter usurpari solita,

lita, quæ idem sonat, ac significatio, & propositum animi, seu significatio, servandæ in conjugio virginitatis eaque conditionata, si possibile foret. Dicitur enim Vir iustus, & sanctus, querere se sociam, cum qua, si possibile foret, vivere sibi liceret in casto, & virginali connubio, ad instar S. Patriarchæ Joseph cum Sanctissima Sponsa Virgine Deiparæ: quorum connubium tanquam exemplar sanctissimum sibi ad imitandum elegerat, ac proposuerat. Atque fama hæc ita per vicos, & omnes vicinos propositum Pyraustæ evulgaverat, ut nullus finitiorum, qualem sponsam hic quereret, ignoraret. Quod si omnes etiam, quorum non intererat, id resciverunt, quanto magis puellæ in sponsas eligendæ, quarum maxime intererat, id agnovisse debeuerunt? Præsertim cum ex Facili mirabilis instructione, omnibus nobis oblata, notissimum sit, puellarum parentes, scientes Pyraustæ propositum, filias suas in conjuges ei tradidisse, tantum ut sua protectione fulciret, & a periculis mundi, atque pudoris iactura, ob pauperiem, illas eriperet. Huic rationi momentum addit plane firmissimum quod Vir ille castissimus, ut ibidem subditur, in sponsas accepit puellas ea lege, ut earum subveniret indigentia, & patrocinaretur pudori: seque, & rem suam familiarem sponсарum suarum cura muniret. Hæc, quæ accepimus, placuit hoc loco adnotare, ut pateat, quantum recedant a veritate, & a fide narrationis; qui dicunt Puellas Pyraustæ propositum nescivisse; & in hisce connubiis aut intervenisse pactum antecedens, Matrimonii dissolutum; aut consequens quidem, sed deceptorium, & fraudulentum: quod sponsas suas, in spem copulæ nuptas, Pyrausta verborum lenociniis, ac delinimentis ad propositum Virginitatis traduxerit, & dolo malo, atque astu deceperit. Sed ne qua superflua ratio de Validitate huiusmodi Nuptiarum umquam amplius dubitandi; dabitur hoc loco fundamentum ineluctabile, atque universale, unde pacta de castitate, & virginitate in matrimonio servanda possint nullo negotio iudicari: sive illud antecedat, sive consequatur. Enimvero duo sunt, quæ in matrimonii celebratione inveniuntur; connubiale jus, seu reciproca potestas in corpora contrahentium; & usus iustissimi juris, seu potestatis. Quod igitur ad jus, ac reciprocam potestatem attinet, omne pactum inter conjuges, de non transferenda corporum potestate, destruit Validitatem, & matrimonio fatale est, sive nuptias præcedat, sive subsequatur. Subtrahit enim ejusmodi pactum ab hoc sacramento materiam, & formam, sine quibus sacramentum constare omnino non potest. Nam omnis variis Theologorum super hæc controversia sententiis, probabilissima omnium videtur illa, quæ assertit, materiam remotam connubiorum esse corpora ipsorum contrahentium; proximam vero eorumdem corporum reciprocam traditionem, verbis, seu nutibus, internum animi consensum experimentibus, factam; formam item mutuum, ac reciprocam eorundem corporum acceptationem a contrahentibus similiter interpositam (a). Quod autem spectat ad usum jam oblata, atque acceptata in corpora potestatis: cum uterque conjugum juri suo, per matrimonium quæsitum, renunciare possit; sicuti in reliquis contractibus, per se loquendo, compertum est, pactum de Castitate, seu Virginitate in matrimonio servanda, sive antecedat, sive sequatur, matrimonio innocuum esse, & cum federe nuptiarum componi posse certum est.

Transeamus jam ad alterum caput: ubi supposita connubiorum substantia, de illorum qualitate, ac perfectione differitur: in quo potissimum controversiæ pondus collocatum est (b). Licet enim hujus servi Dei vita, sanctissime peracta, & mortui plurimi ad vitam revocati, quod summum esse solet inelytæ sanctitatis testimonium, de qua re Sanctæ Sedis Apostolicæ Decretum præstolamur, nos post Doctores Parisienses, ac Salmantinos, in partem affirmantem non inclinent modo, sed etiam impellant, non desunt tamen e nostris Viri præstantes, qui de illa non solum dubitant, sed contrariam etiam sententiam & amplectuntur ipsi, & nobis, ut amplectamur, suadere conantur.

Igitur quoniam opinionem hanc neque in se ipsa veram esse, neque Academiae nostræ satis decoram puto; quæ muneris mei partes sunt, aperte, atque ingenue executurus, utrumque Pyraustæ matrimonium Heroicis Connubiis annumerandum esse, ea majori, qua potero, brevitate, & contrariæ partis observantia, confirmare conabor.

Ordo autem resolutionis hujus Casus hic erit. Primo geminam ejus expressionem, sive acceptationem præmittimus: ne ulla evasio Adversariis nostris concedatur; sed via quævis rationes nostras declinandis, & subterfugiendi præoccupetur. Deinde Casum, secundum omnem ejus faciem, perpendemus; quocumque modo acceptus fuerit, ostendimus, Pyraustam prudentissime se gessisse: & actus heroicæ virtutis exercuisse. Tandem adversæ partis argumenta in medium profertur, ac diluimus: licet, quod ad hoc tertium attinet, nobis cum ipsis iniquo Marte sit congregandum. Cum enim nos summa animi sinceritate, & solius veritatis detegendæ studio semper egerimus, libere rationes omnes nostras ipsis communicavimus, & coram non semel protulimus: quod non ita ab illis factum est, qui unam tantummodo, aut alteram rationem protulerunt, quam nos etiam inter referendum firmissima responsione excepimus: ceteras dissimularunt.

Sed ad primum veniamus. Prima igitur Casus expressio, qua, ut conijcimus, utuntur Adversarii, hujusmodi est.

Prima Pyraustani Casus expressio, seu acceptio.

Cum Pyrausta, a primis usque adolescentiæ suæ annis, concepisset propositum virginitatis; quod ad sexagenariam ætatem intemeratum, illibatamque servavit, voluit ea ætate matrimonium contrahere; & virgo cum virgine sponsa convivere. Queritur, utrum contrahendo recte se gesserit.

Secunda expressio, seu acceptio, ejusdem Casus.

Cum Pyrausta duas successive duxerit puellas in uxores; pauperes quidem, sed virtute præditas, cum proposito, & significatione, seu protestatione servandæ in matrimonio virginitatis, si Deo placeret; ad exemplum purissimi Matrimonii Sanctissimæ Virginis Deiparæ, & Sancti Joseph Patriarchæ; de facto autem in matrimonio servaverit virginitatem: Queritur utrum valide contraxerit, & virtutis heroicæ actus ediderit.

Hæc secunda potius, quam prima est sincera, ac germana contentio casus expressio. Sed Adversarii, ut audio, primam libentius accipiunt; ut

(a) Lambertus disp. 4. de Matrim. Ludovicus Abelly cap. 8. de Matrim. sect. 1. cui favet D. Thom. i. suppl. quest. 45. art. 2. in corp.

(b) Vita Ven. Servi Dei cap. 10. num. 86.

ut rationibus suis hunc in modum inferviant .
Nunc procedamus ad controversiæ decisionem .
De Validitate fati diximus supra .

*Resolutio questionis juxta primam
acceptationem .*

PUtant Adversarii disputationem suam felicior-
rem exitum habituram, si ex proposito vir-
ginitatis, simpliciter consideratæ, desererent argu-
mentum, ad damnandum propositum virginitatis
in matrimonio: cum hoc virginitati fatale esse
videatur; atque adeo ad servandam virginitatem
assumi ut medium non deberet .

Sed responderetur, matrimonium a Pyrausta as-
sumptum non fuisse, ut custodiret virginitatem
simpliciter: nam sic inuuptus permanisset, sed ut
ad gradum perfectiorem, atque ad altiorem statum
virginitatem suam promoveret . Quemadmodum
enim virginitas conubialis magis ardua, ac diffi-
cilis est, quam virginitas solitaria; ita laudabi-
lior multo est, atque præstantior: ratione cujus
arduitatis in censu virtutum heroicarum poni de-
bet; ut infra ostendemus . Protheoria, seu prin-
cipium fundamentale hujus doctrinæ ex Propheta
Regio desumptum est . Air enim in Psalmis de
iustis hominibus, & fidelibus Dei servis: *Ibunt
de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in
Sion.* Tandiū enim crevissem in perfectione vir-
tutum, quamdiu procedente charitate, in spe vi-
vimus, ut Deum Deorum in Sion, hoc est in
patria, tandem videamus .

Ne vero Adversarii respondeant, doctrinam ve-
ram esse; sed non esse ad rem nostram, applica-
bimus illam factis, atque illustribus victoriis Py-
raustæ . (a) Nam, ut habemus in Vita ejus,
circa annum ætatis suæ 20. & insequentes, Ty-
rocinia veluti posuit virginitati suæ, rejectis plu-
rium foeminarum amplexibus, cuiuscumque con-
ditionis, spectatæque pulchritudinis . Dæmonem
deinde repulit, in specie venustissimæ virginis,
sibi veneris stimulus subdentem, & pronuba flama
solicitantem . Sed cum pluries præsentissima
divinæ gratiæ auxilia ad triumphandam expertus
esset; vocatus a Domino ad difficiliora certami-
na, factum est, ut ejus sanctissima gratia præ-
ventus ad virginitatem in matrimonio servandam
quod summe heroicum est, sese contulisset .

Præterea dissolutum adversæ partis argumentum
falso nititur fundamento; nempe matrimonium
virginitati fociari, & cum ea componi non posse .
Hoc enim quam falsum sit, declarat conu-
bium virgineum Sanctissimæ Deiparæ cum Sancto
Joseph; & alia plura conubia, ad hujus imita-
tionem inita a Sancti viris; ut ex historia eccle-
siasticæ monumentis infra referemus . Nullo ergo
modo tueri possunt argumentum suum, nisi contra
Theologos, Canonistas, & Sanctos Patres ma-
trimonium Sanctissimæ Virginis cum S. Joseph a
matrimonii ratione demoliantur; & contra Histo-
riæ Ecclesiasticæ fidem, & Ecclesiæ Romanæ di-
sciplinam, alia virginea Sanctorum conubia, quæ
neque pauca neque obscura sunt, sed christiano or-
bi notissima, a veri matrimonii essentia atque
substantia deturbent . Igitur Matrimonium est ap-
tissimum Medium ad promovendam ad statum
heroicum Virginitatem .

Dicent fortassis, inspiratos calitus Dei servos
matrimonia illa contraxisse . Aut historiam recen-
tibus notis obscurare tentabunt .

Sed quem tandem Pyraustam esse putant? Flocci
videlicet, naucique hominem; rusticum arato-

(a) Cap. 1. num. 26.

(b) Extat ejus Vita cum Miraculis, & potentis impressa Romæ Typis Cæsaræ
Apostolica. 1696. in 4.

rem, truncis suis, stipitibusque perfimilem, Di-
vinæ lucis, ac supernarum illustrationum incapax:
cujus vita ipsi, per summum nefas, pecu-
dis videtur esse, non hominis . At legant atten-
tius, qui tam nefaria obrudunt, admirabilem pu-
rissimi hujus, atque illuminatissimi servi Dei vi-
tam, ac mores: sciantque tandem non agricolam
amplius, non hospitem, aut advenam esse, sed,
ut ait Apostolus ad Ephesios 2., civem Sancto-
rum, & domesticum Dei; prodigiosum etiam tot
mirabilium patratorem, ut miracula plusquam
tercenta (b), cum adhuc esset in vivis; innum-
era vero post mortem sit gloriosissime operatus .
Certe quæ in funere ejus acciderunt tam mira,
tam insolita, tam multiplicia fuere, ut me spe-
cimen aliquid eorum huc afferre ex cap. Vita 22.
conantem, numerus, raritas, pulchritudo, deli-
citiæ, suavitas tanto stupore, tantaque dulcedine
repleverint, ut quid potissimum ex illo paradiso
voluptatis seligerem, anceps, ac dubius hæserim;
& ne omnia referrem, quæ pulcherrima, ac ju-
cundissima sunt, prætermittere deberim univer-
sa . Ceterum hæc sub sola historia fide a nobis
proponuntur, solum post S. Sedis Apostolica de-
cretum infallibilia futura .

Si ergo Sancti Dei homines calitus illuminati
fuere ad virginea matrimonia ineunda; & apud
iptos conciliari cum virginitate conubia, aspici-
ente Deo gratia, poterunt; quid est, quod ad-
mirabilem Dei servum, tot gratiis, tot benefi-
ciis, tot mirabilibus ornatum ne dicam, an o-
neratum? ad familia conubia contrahenda celesti
illustratione, & gratiæ præventionis, atque adju-
vantis impulsu privare, aut viduare poterit? Pe-
rennes illustrationum Divinarum radii ab Sole in-
creato, atque indeficiente Deo Optimo Maximo
in universum orbem sparguntur: neque ulli deest
lux illa præsentissima, nisi mentis eorum, qui
piaculis suis fores clauserint, & Soli illuminanti
obicem posuerint .

Quod si, ad alteram responsionis suæ caput
confirmandum antiquam historice fidem novis ob-
servatiunculis obscurare tentabunt, ut virginea in-
fectentur matrimonia Sanctorum; antea pacato a-
nimo meditentur, quam viris Theologis indeco-
rum sit, Virginea matrimonia criminari, & in
Sanctos injuriosa conquerere . Præterquam quod
historiæ fides non homini debetur recens nato,
sed illustribus illis scriptoribus, qui ævo illi pro-
ximi fuerunt, in quo res, & acta memorabilia
contingere .

Sed veniamus ad secundam ac principem con-
troversiæ acceptationem .

*Resolutio questionis juxta secundam
expositionem .*

JAM ventum est ad secundam, hoc est, ad
veram, & propriam causæ Pyraustanæ expres-
sionem .

Ut autem partem istam distincte, atque ordi-
nate disponamus, statuta assertione, Protheorias
quasdam, seu principia fundamentalia stabilie-
mus: demum ad eam confirmandam plurima argumenta
subjiciemus .

A S S E R T I O .

Virginea Pyrausta conubia ad Mariani ma-
trimonii Sanctissimum exemplar instituta, atque
exacta, prudentissime fuere suscepta; & heroicis
actionibus accensenda sunt, atque annumeranda .
Pro-

Protheoria, seu Principia fundamentalia .

UT ergo radices, & veluti primos fontes fan-
citas assertionis ostendamus, quædam de Vir-
tute heroica, de prudentia, & Auxiliis divinæ Gra-
tiæ, primoribus, ut dicitur, labiis, attingere
oportet .

Prima Protheoria. Quid, & quotuplex sit Vir-
tute heroica .

Virtus igitur heroica est habitus generalis,
complexens, quod summum est in omni virtute:
& tantum, ac tale humanæ rationis supra passio-
nes prædominium causat in omni materia; ut nul-
lum obiectum vim habeat, aut facultatem, ad He-
roem deturbandum ad eo, quod a recta Ratione
sanctum fuerit . Hinc est, ut Virtus heroica di-
vina potius esse, quam humana videatur . Actio-
nes igitur, atque opera ejus insigni nomi-
ne heroica dicuntur . Et sane, spectata hujus
vocabuli derivatione, omnino congruenter . He-
ros enim Veteribus disti sunt, qui mortales
cum essent, rerum tamen a se gestarum mag-
nitudine, quam proxime ad Deos immortales ac-
cedere videbantur: eamque apud homines virtu-
tis opinionem meruerunt, ut post mortem in Deo-
rum Album crederentur relati . Hinc Antiquitas
fabulata est, Heroes Semideos esse; altero pa-
tente Deo; altero mortali prognatos . Unde
est, ut Heroes ab Antiquis desiniretur: Qui ne-
que homo est, neque Deus: sed simul utrumque .

Porro virtutis heroicæ fundamentum attigit
Aristoteles libro 7. Moralium Nichomachiorum;
cap. 1. illudque clarius aperuit D. Thomas in
Commentariis ad eum locum . Nam consideran-
dum est, inquit, quod Anima humana media est
inter superiores, seu divinas substantias, quibus
communicat per intellectum; & animalia bruta,
quibus communicat in sensitivis potentiis . Sicut
ergo affectiones sensitivæ partis aliquando in ho-
mine tam depravate corrumpuntur, ut homo ipse
bestiarum similitudinem referat; quod vitium di-
citur Bestialitas: ita etiam pars rationalis quan-
doque in homine tam alte, insigniterque perficitur,
ut homo ipse substantias separatas, seu An-
gelos æmuletur: quæ virtus a Philosophis, ac
Theologis Heroica, ac Divina, seu plusquam hu-
mana appellatur . Ita substantialiter D. Thomas .
Cum ergo Pyrausta ita fuerit suis conubiis dete-
stus, non ut, belluarum more, nihil quidquam,
præter coitum cogitaverit, sed ut purissimus An-
gelus cum Sponsis se gesserit, ac fuerit conversa-
tus; quis Heroicam, & plusquam humanam vir-
tutem in ejus conubiis non recognoscat? Aut
quis levibus observatiunculis prudentiam ejus, at-
que Anglicam Virginitatem vellicare non erube-
scat; & non potius utramque ut divinam suspi-
ciat, atque admiretur? Dicant nunc, Adversarii,
num hæc ipsis ad Pyraustanam causam facere vi-
deantur .

Hæc autem præstantissima virtus, seu com-
plexio excellens virtutum omnium, duplex est .
Acquisita, & Infusa; seu Naturalis ordinis, &
Supernaturalis . Illa sibi propositum habet ob-
jectum, seu finem naturalem, per media inferio-
ris ordinis obtinendum: ista vero obiectum, seu
finem supernaturalem, per media item superna-
turalia, seu per Auxilia divinæ Gratæ acquiren-
dum . Demus exemplum utriusque in Castitate ma-
ritali .

Primum Exemplum Heroicæ Castitatis marita-
lis: Matriona nobilis, nupta, speciosissimæ formæ,
solicitorum ab Amasio viro principe modis omni-
bus: primum omni genere belliariorum, & cupe-
Serry Tom. VI.

diarum, quæ sunt gulæ irritamenta: secundo
omni genere donariorum, quæ ad vestiendi lu-
xum, ac superbiam vitæ pertinent; omnique ge-
nere pretiosarum suppellectilium; tertio magna vi
auri, & argenti, ex quibus avaris adoratoribus
idolum constatur &c. Sed castissima mulier omnia
recusat, omniaque remittit ad Donatorem, ne
datam fidem marito frangat, & ne illegitimam
prolem in domum ejus inducat . Hujusmodi Ma-
ritalis Castitas est Virtus Heroica ordinis natura-
lis . Hanc non habuit Pyrausta de facto; neque
de ista disputatur . Habuit tamen in preparatione
animi . Quoniam cum tanquam campellris œco-
nomus formosissimæ, ac ditissimæ Viduæ, quæ
eum deperiebat, inferviret, in flore ætatis suæ,
possetque consentiens incitamentis ejus, reditum
ipsum omnium arbiter fieri, non solum eam non
audit, sed ante annum ab ejus servitio se sub-
trahens, satis ostendit, nihil esse tam pretiosum,
cujus gratia a proposito Virginitatis descisceret;
multo etiam minus id facturum, si fuisset uxora-
tus, & in finem matrimonii naturalem inten-
tus .

Secundum Exemplum Heroicæ Castitatis marita-
lis, & quidem ordinis supernaturalis, ab iis
omnibus desumi potest, qui in matrimonio non
prolem, non concupiscentiæ remedium, non alium
finem naturalem experierunt; sed decretam com-
muni consensu Virginitatis custodiam in finem
altiore, ac supernaturalem ordinarunt . Hujus-
modi porro sunt omnia conubia virginea, ad faci-
lius vacandum orationi directa; & ad mutuum
adjutorium sibi præstandum, in ordine ad vitam
æternam comparandam, ordinata . Unde est, ut
jure gloriaretur Pyrausta noster, quod geminam
Columbam lacte candidiorem Cælo educasset; &
duobus veluti puritatis Angelis, duabus videli-
cet suis Sponsis, cœtum Angelorum auxisset .

Secunda Protheoria. Quid, & quotuplex sit
prudentia .

Non eadem prudentia regitur Virtus Heroi-
ca naturalis, & supernaturalis . Propter eam
quædam breviter prælibanda sunt: ut liqui-
do pateat, quænam sit utriusque mensura; & per
quam prudentiam conubia Pyraustæ diegi, ordi-
narique debeerint .

Prudentia igitur, ut omnes norunt, est recta
ratio agibilium, seu oculus mentis . Duplici au-
tem lumine mentis oculus præditus esse potest,
lumine naturæ, & lumine gratiæ . Hinc apte di-
viditur a Theologis, nominatim a D. Thoma
1. 2. q. 63. a. 3. & 4. in Acquisitam, & Infu-
sam: vel secundum Scotum in 3. sent. dist. 36.
q. 1. in communem, & extraordinariam, seu
elevatam a Charitate, & ab ipsa imperatam .
Acquisita determinat medium rationis in materia
moralis, in ordine ad finem naturalem; & re-
git hominem, ut est civis mundi hujus . Infusa
vero determinat, & ordinat bonum honestum in
finem supernaturalem, & regit homines, ut *sunt
Cives Sanctorum, & Domestici Dei* . Non est otio-
sa præsens Protheoria; sed ordinatur ad diruen-
dum partis adversæ fundamentum: quod scilicet
Matrimonium non sit aptum medium ad servan-
dum propositum Virginitatis . In hoc enim nego-
tio non prudentia ordinis naturalis, & acquisita,
sed ordinis supernaturalis, & infusa usurpanda est;
quæ promovit Virginitatem ejus ad gradum per-
fectiorem .

Videamus nunc, quænam matrimonia regantur
per prudentiam Acquisitam, & quænam per pru-
dentiam Infusam . Qui enim ducit uxorem, potest
matrimonium ad duplicem finem ordinare: primo
ad finem naturalem; secundo ad finem supernatu-
ralem . Finis naturalis est carnalis copula, con-
cu-

cupiscentia remedium, proles, & familiae propagatio. Finis autem supernaturalis est vitam in duplici sexu caste atque illibate traducere, eo sine ulteriori, ut alter conjugum alterum juvet, non ad traducendam, modo vitam temporalem; sed etiam, ac potissimum ad consequendam, quod caput est, vitam aeternam. In hoc autem posteriori plura, & multa majora bona refurgent, quam in priori; nempe Typus Virgineus unionis Christi cum Ecclesia; Amor Charitatis, non concupiscentiae; Gratia Sacramenti, non cor tantum, sed etiam carnem sanctificans: Unio, non corporum, sed quae multo praestantior est, animarum. Item ad illibata corpora Christo Domino custodienda; reciproca fides: ad orationi vacandum status expeditior: praesertim vero ad Sanctissimam Mariani Matrimonii imitationem, & cultum propagandum Angelicus modus. Quod Virgineum exemplar Pyrausta nosfer non solum Sanctissime est imitatus; sed etiam ut alii imitarentur religiosissime est saepius adortus. Matrimonia priora reguntur per prudentiam Aquisitam, cum ambo sint ordinis naturalis. At haec posteriora, quae finem supernaturalem respiciunt, non reguntur per prudentiam Aquisitam, seu communem, quae infra Sanctos istiusmodi fines longo jacet intervallo, sed per prudentiam Thomisticam Infusam, seu Scottificam Aquisitam, at a Charitate elevatam, atque imperatam: quae in re nostra idem fundamentum impertunt; & ad stabilendam Assertionem sanctam mirè conveniunt. Transeat igitur, quod secundum prudentiam Aquisitam, & communem matrimonium non sit aptum medium ad servandam, & promovendam ad statum Heroicum Virginitatem: est tamen huiusmodi secundum prudentiam infusam, seu aquisitam, & a Charitate imperatam, per quam Pyrausta actiones, ac determinationes dirigebantur: & quae de virtute in virtutem, & multo magis de gradu in gradum nos promovet.

Tertia Protheoria est de Auxiliis divinae Gratiae. Videtur enim, quod negans opinio, vel praesentissima nobis divinae Gratiae auxilia non admittat; vel iustis volentibus, & conantibus non adesse arbitretur. Hoc autem quam proxime accedit ad propositionem illam Jansenianam; quae cum ceteris eius auctoris Vaticano fulmine afflata fuit: *Aliqua Dei praecipua (quanto autem magis, ut ego opinor, confilia:) hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum praesentes, quas habent, viros, esse impossibilia: deesse quoque illis gratiam, qua possibilia fiant.* Inde enim sic argumentor: Aut Pyrausta volenti, & conanti, secundum praesentes, quas habebat, viros, ad servandam in matrimonio virginitatem, aderat Gratia, qua hoc opus arduum, ac difficile, eidem facile redderetur: aut non aderat. Si aderat Gratia, ubi est impossibilitas illa, ad tantum consilium adimplendum, cui tanquam fundamento summam Pyraustae imprudentiam superaddidit? Quid difficile Deo est, per suam Gratiam agentis? Quis enim, inquit Apostolus, potest resistere voluntati eius? Si vero dicant, iusto illi, volenti, & conanti, secundum praesentes, quas habebat, viros, defuisse Gratiam, qua opus bonum intentum possibile, ac facile redderetur, en temere asseram propositionem Jansenianam, a qua nobis velis, remisque fugiendum est.

Sed progrediamur longius. Hominem iustum Deus Gratia sua praeventit: gratia sua adjuvat, & gratiae suae cooperantis beneficio impedimenta removet, dum opus perficit. Haec est D. Pauli sententia, dicentis: *Nihil possumus ex nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Item: *Deus est, qui operatur in nobis, velle, & perficere.* Imo est sententia Christi Domini, Jo:

15. *Quia sine me nihil potestis facere.* Et D. Augustinus de Gratia, & libero arbitrio acute, subtiliterque omnia complet; & paucis verbis ea, quae posuimus, confirmat: *Cooperando, inquit, perficit Deus, quod operando cepit: quia ipse, ut volumus, operatur incipientes, qui volentes cooperantur perficiens.* Quoniam igitur per Gratiam suam cooperantem Deus perficit opus: nequit autem perficere, nisi impedimenta removendo, impedimentorum remotio a Divina Gratia ortum habet. Idem dicit D. Thomas in Epist. ad Hebraeos, ceterique cum ipso Theologi.

Hinc ruit opinio illa, quod i. Pyraustae uxores diutius vixissent, & ad grandiosem pervenissent aetatem, quando tenerum iam pronuba flamma pudorem sollicitat, crepundia, quibus ludebant, deposuissent, & matrimonii usum deposuissent, ac postulassent: quod si factum non est; ex accidente fuit; quia morte in teneriore aetate praeventa sunt. Sed falluntur: Nam ex accidente non fuit; sed ex Divinae Gratiae cooperatione. Discant ergo Adversarii, homines pro Dei gloria operantes, & in arduis, ac dissolubilibus rebus constitutos, frui praesentissima divinae Gratiae assistentia, quae implicata explicat, inaccessa complanat, impeditura submovet; & suavi providentia omnia adversantia emedio tollit. Scimus enim, ut ait Apostolus ad Romanos 8. r. 28. *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Mors igitur Sponsarum Pyraustae, quam in casum, fortunamque reducant, ab occultis divinae Gratiae viribus, atque auxiliis orta est. Scilicet, summo earum bono, raptae sunt; ne malitia mutaret intellectum illarum; sed cum beatitudine laureolam virginitatis adipiscerentur. Miror quemquam dari posse Theologum, qui hanc in rebus arduis divinae Gratiae assistentis praesentiam nondum fuerit assecutus; & effectus, a Gratia Dei cooperante, & impedita removere, subortos subtrahat Gratiae, & casui, fortunaeque concedat.

Positis principiis fundamentalibus, assertio confirmata est.

Assertionis Probationes.

Primum Argumentum ab Auctoritate Scripturae desumitur ex libro Tobiae capite 6. ubi Angelus Rafael praescripsit Tobiae, & Sarae primum iunctis in matrimonium, ut tribus diebus, & noctibus orantes se a copula continerent. Et sicuti ob incontinentiam Amodeus prima nocte nuptiarum septem Sarae viros occidit, quoniam irruerant in copulam, tanquam equus, & mulus quibus non est intellectus: ita ob continentiam Tobiae, Dominus in Deserto Amodeum ligari iussit; & praeter vitae incolumentiam, pluribus aliis donis Tobiam cumulavit.

Igitur in Matrimonio multo melior est, & Deo multo carior continentia, quam concupiscentia.

Atqui prudentia distat, ut id maiore animi propensione persequamur, quod melius est, & Deo carius.

Igitur Pyrausta prudentissime egit, virginalem in matrimonii continentiam quaerendo, non copulam: atque adeo injuria damnant Adversarii Pyraustam, tanquam imprudentissimum hominem.

Confirmatur. Nam si tam grata Deo fuit in veteri lege conubialis continentia, quanto magis esse debet in lege nova ipsa Virginitas, quae post Messiae adventum, post genus humanum numerosissime propagatum, & post virgineum SS. Deiparae, & S. Joseph conubium, in exem-

plar

plar propositum, tanto praestantior est, atque divinior?

Alter Scripturae locus habetur ex D. Paulo, Epist. I. ad Cor. cap. 7. ubi fit Apostolus in cordibus eorum nactus fuisse terram bonam in quam praedicationis semen proficeret, tam alte pro Virgineo matrimonio declamasset, quam fortiter pro conubiali continentia perorat. Dixit tamen quantum sat est ad probandum, continentiam in matrimonio esse carnali commixtione meliorem. Nam v. 5. cum conjugatis dixisset. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & item revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram;* statim, ne Corinthii putarent, conjugalem copulam sibi fuisse praecipiam, & esse in matrimonio necessariam, subdit v. 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, hoc est, veniam, non secundum imperium.*

Ergo inde constat, carnalem commixtionem non esse in matrimonio praecipiam; imo praetantior, atque optabiliorem esse maritalem continentiam, ac virginitatem.

Item, ne e converso Corinthii crederent, sibi datum in matrimonio praecipiam continendi, subdit, id se dixisse, non ad praecipiam inducendam, unde propter suam ipsorum concupiscentiam mœchantes &c. in laqueum diaboli traducerentur; sed ad significandam ejus vitae, scilicet continentis, & virginialis majorem utilitatem, majorem honestatem, & majorem facultatem sine impedimento vacandi orationi. Ait enim; *Parva hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam: sed ad id quod honestum est, & quod facultatem praebet, sine impedimento Dominum obsecranda.*

Ergo ab Apostolo utilior, felicitior, ac beator reputabatur in matrimonio custodia continentiae, ac virginitatis, quam usus concupiscentiae, seu commixtio carnalis.

Atqui id, quod melius est, prudentissime illi autefetur, quod est deterius. Igitur Pyrausta, servans in matrimonio continentiam, ac virginitatem, prudentissime est operatus.

Haec est D. Pauli doctrina: & licet apertius loquatur de Virginitate extra matrimonium, quam in Matrimonio; tamen rationes, quas adducit, desumptas ab utilitate, oratione, honestate, majoreque Dei complacentia, in utroque statu Virginitatem commendat: & non minus probant de Virginitate in matrimonio, quam extra ipsum: *Unusquisque enim, inquit v. 7. proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic.* Et alius movetur Dei Gratia ad Virginitatem solitariam, alius autem ad Virginitatem maritalem.

Ex hoc ultimo Apostoli loco docemur, Virginitatis custodiam esse donum Dei, non opus propriae voluntatis, aut liberi arbitrii. Nam postrema haec loci hujus interpretatio, quae habetur in libro de castitate, Tomo 5. Bibliothecae SS. PP. pelagiana est. Liber enim ille, falso adscriptus Syto III. Pontifici, prodit ex officina Pelagianorum: (a) ut adnotarunt Interpretes. Videant igitur adversae partis Assertores, ne in Pelagianorum errorem incidant, dum nullum donum Gratiae datum Pyraustae pro custodia conubialis Virginitatis admittunt: sed omnia agi viribus liberi arbitrii supponentes, Pyraustam imprudentiae, ac temeritatis criminantur. Nam si ei praesens fuisse donum Gratiae putarent, insequenter deinde Pyraustam invaderent, & imprudentiae, ac temeritatis accusarent.

Secundum Argumentum sumitur ab auct. SS. PP. Nam Sancti Patres, & Sacrae Scripturae In-

Serry Tom. VI.

(a) Negant opinio Pelagiana est: non minus quam supra Jansenianam ostendimus.

terpretes tum multis aliis in locis; tum praesertim in Epist. Apostoli r. ad Cor. cap. 7. v. 5. *Et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram,* scilicet, quod periculum esset, ne in aulteria, aut alias libidinum species laberentur, ita colligunt, atque concludunt communi consensu: Ergo si cesset causa, scilicet periculum incontinentiae; uti certe in iis cessat, qui eam generose frenant, & domant, permittit Apostolus, imo tacite suadet, ut se per totam vitam continentes, virginesque conservent. Particulares SS. PP. auctoritates non adducimus, primo quia in libello documenti plurimae habentur, praesertim Doctoris divinae Gratiae, S. Augustini: deinde ne oceanum in concha includere velle videamur.

Tertium argumentum petitur ab exemplis Conjugum, sanctitate, & genere illustrium, qui virginitatem in Matrimonio custodiverunt. Nam post Virgineum Deiparae, & S. Joseph conubium, qui vexillum Virginitatis conjugatis erexerunt, atque explicarunt, varia subsecuta sunt Virginea conubia, S. Juliani, & Basilissae apud Surium: S. Boleslai V. Polonorum Regis, qui Pudicus inde dictus est, & Cunegundis Bela Ungarorum Regis filiae; S. Conradi Regis, filii Henrici IV. Imperatoris, cum Mathilde: Alphonsi II. Asturum Regis, cum Regina, qui Casti nomen accepit; Ricardis Reginae cum Carolo Crafo Rege: S. Pharaïdis, neptis S. Amelbergae, ac Pipini: demum, ne plura commemorem, S. ETHELREDAE, orientalium Anglorum Reginae, quae IN DUPLICI CONJUGIO Virginitatem servavit. Atque hoc geminum Ethelredae conjugium aliquorum scrupulum repellere potest, circa duplex Pyraustae Matrimonium. Conatur negans opinio necessitatem aliquam obtrudere, qua relata Virginea matrimonia prudenter inita fuisse suadeat; quae necessitate Conubia Pyraustana caruisse inculcare non desinit. Acutissima profecto responsio! Quasi vero Matrimonium Virgineum non esset bonum per se, sed tantum per accidens. At nos superius incluta Bona retulimus, (in Protheoriis) quibus Sanctissime refugit, & supra matrimonium commune eminentissime affurgit. Deinde unde novit contraria opinio, nullum ex relatis matrimoniis, aliisque plurimis, quae extant, factam fuisse alicui sine, quam suggerat humana ratio, & lex communis conubiorum? Certe dic modus philosophandi, rationes terrenas perquirendi; nunquamque fines supernaturales, & illucescentes divinae Gratiae radios attendendi, atque captandi nimium olet Pelagianismum, & Jansenismum.

Quartum Argumentum: Qui a gradu imperfecto Virtutis transit ad perfectiorem, quoad gradum ejus praestantissimum, ac summum attingat, non solum prudentiae laude, sed Virtutis heroicæ ornamentis refulget: ut constat ex terminis.

Atqui Pyrausta a gradu imperfecto Virginitatis transivit ad perfectiorem, & tandem summum ejus virtutis attingit gradum. Quae enim perfectior, atque admirabilior Virginitas dari possit, quam conubialis?

Igitur Pyrausta non solum prudentiae laude, sed virtutis Heroicæ ornamentis refulget. Negabit ne forte quisquam Virginitatem suos gradus admittit? Adificat itaque, dari Virginitatem Monasticam, seu solitariam; dari etiam maritalem, seu conubialem: atque hanc, quippe magis arduam, atque difficilem, esse etiam illa praestantior.

Quintum argumentum: Tritum est veritate

Y 2

pro-

proverbiū: Exitus acta probat. *Nedum enim hominum bñtilium, sed etiam amplissimorum Virorum consilia ex eventu probari solent: ut inquit Balbus, & Oppius ad Cicer. post Epist. 8. lib. ad Atticum. Res enim hæc Theologico lumine non eget, sed naturæ lumine nota est.*

Atqui Virginea connubia Pyraustæ felicem exitum habuerunt; quod nullus inficiatur.

Igitur prudentia, & consilium ejus damnari non potest, sed omnino probari debet.

Neque est cur hanc nostram rationem infirmare studeant, inepta paritate hominum impiorum, quibus optimo eventu, felicique arris aliquando Fortuna; & tamen iniquis consiliis, ac temerariis usi sunt. Nam hic eventus revera a casu, & fortuna, seu a concursu casuali plurium causarum contingentium nasci debuit. Deus enim iniquis consiliis Gratia suæ cooperantis auxilio non adest. At exitus Duplicis Pyraustani connubii fortunatus, ac felix non a Consiliis iniquis, & pravum finem spectantibus, sed in finem sanctissimum, ac supernaturalem tendentibus ortum habuit. Quare divinæ Gratia cooperanti tribuendus est. *Cooperando enim perficit Deus, quod operando capit: quia ipse, ut volimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, ut supra ex Augustino retulimus, cujus ipsissima verba sunt.*

Confirmatur. Cum enim prædicta duo matrimonia exitum felicem sortita sit, vel id casu, fortuitoque factum est: vel viribus naturæ: vel viribus cooperantis divinæ Gratia. Neque enim aliud fingi potest.

Atqui felix ille connubiorum exitus nequit in casum, fortunamque referri. Casus enim, & fortuna locum non habent in rebus prævisis, deliberatis, intentis, & juxta intentionem agentis auspicio succedentibus: ut ex 2. Phylis. notum est. Nequit etiam referri in vires naturales, & humanas: tum quia apud Adversarios talia connubia temeraria fuerunt, & vires naturæ superantia; unde est, ut summæ imprudentiæ Pyraustam infimularet, eo quod elegerit media, quæ a proposito virginitatis abducunt: tum etiam quia finis supernaturalis consecutio viribus naturæ tribui non potest: alioquin finis non amplius supernaturalis, sed naturalis existeret.

Igitur felix ille connubiorum exitus Auxiliis divinæ Gratia cooperantis est tribuendus. Atque ideo connubia illa, naturam superantia, & exitum ex divina gratia felicem sortita Heroicis connubiis annumeranda sunt.

Memini cum argumenta mea cæteris eruditissimis sociis communicarem, unum ex iis, quem magni facio, respondisse, fortunam, & casum felicis eventus eum fuisse, quod puellæ defunctæ sint, antequam Cupidinis arcum, ac Veneris tentiginem experirent, petituræ debitum, si vixissent.

Sed mors puellarum non in casum, aut fortunam referri debet, sed in Gratiam cooperantem; quæ opera bona promovet, & impedimenta removet; ut superius ex D. Aug. dictum fuit. Si enim sine voluntate Dei capillus de capite nostro perire non potest, quomodo, Deo non disponente, creaturæ ipsæ perire, atque in florenti ætate interire poterunt?

Sextum Argumentum: Divæ Terefiæ Votum quartum faciendi semper, quod perfectius est, in quavis materia, ad agendum proposita, non fuit imprudens, ac temerarium; licet ob rei difficultatem Religio, & sanctitas Voti in discrimen adduceretur.

Ergo multo minus simplex propositum Pyraustæ servandi in Connubiis virginitatem, imprudens, ac temerarium judicari debet.

(a) Doctrina dispens fundamentum aduersæ sententiæ.

Pr. Illatio: quia etiam prætermissa, ac spreta inter Votum solemnè Terefiæ, & simplex Propositum Pyraustanum differentia, votum Terefiæ obligat in omni materia; at Propositum Pyraustanum ad unam tantum actionum speciem, nempe ad servandam Virginitatem in connubiis coarctatum fuit: Quare illud est isto difficilius. Rursus Votum Pyraustanum, & ad unam tantum personam, Terefiæ ad integram Communitatem se extendit. Igitur difficilius est Votum Terefiæ, quam Propositum Pyraustanum.

Dicent fortasse, D. Terefiæ elegisse apta media ad Voti sui finem assequendum; at Pyraustam non item.

Sed contra: Nam finis Voti Terefiæ superat vires naturæ non minus, imo magis, quam Propositum Pyraustanum. Impossibile enim est, hominem viribus suis relicto, & Divinæ Gratia Auxiliis destitutum semper ad id, quod perfectius est, attendere; illud aggredi; illud obtinere. *Nihil enim possumus ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostræ ex Deo est;* inquit Apostolus. Ergo ad utrumque requiruntur vires divinæ Gratia. Si enim hæc intervenire debeat, nihil differentia aut diversitatis amplius invenitur. Nam & Votum Terefiæ, & Pyraustæ propositum res sunt, quæ aguntur ope, ac subsidio divinæ Gratia cooperantis, quæ omnia vincit, & omnia submovent impedimenta.

Contra secundo: quia Matrimonium licet non sit aptum medium ad Virginitatem in statu imperfecto, & communi; est tamen aptissimum, & unice requisitum, ac necessarium ad Virginitatem in statu heroico; & cuiusmodi est sola Virginitas connubialis; qualis in reliquorum Sanctorum connubiis refulget.

Septimum Argumentum: Quoniam adversa sententia tota est in mediis, ac circumstantiis naturalibus examinandis, hæc etiam perpendamus. Et quoniam circumstantiæ vel se tenent ex parte Viri, vel ex parte Mulieris, vel ex parte operis, Pyraustæ illas omnes servavit. Nam vel circumstantiæ, quæ per prudentiam examinantur, pertinent ad Animam; & hæc observavit, non nubendo, nisi cognita prius sua continentia: quam cognitionem habuit ex multis contra faminas, & demonem ipsum triumphis. Vel pertinent ad corpus; & hæc observavit, sexagenarius nubendo: quando prurientes spiritus sanguinis deservauerant. Quod si pertineant ad mulierem, illas servavit, ducendo puellas teneriores, virtute præditas, & ad Virginitatem servandam propensas. Neque enim ad Virgineum matrimonium, quod habebat in votis, eligere poterat profectionis ætatis mulieres. Nam quis eum certum reddere potuisset, Matrimonium hujusmodi futurum fuisse Virgineum? Hinc cadit obiectio de faminis profectionis ætatis: & ad virgines puellas redeundum est. Quod si circumstantiæ se tenent ex parte operis, quod aggrediebatur, in quo negantis sententiæ summa reposita est, illæ reducuntur ad Circumstantiam. *Quid.* Igitur quid intendebat in suis matrimoniis? Nunquid simpliciter custodire Virginitatem? Ita omnino purare, atque obrudere videtur negans opinio. Sed hoc omnino falsum est. Intendebat quid amplius; scilicet quid heroicum: id nempe, quod maxime arduum, ac difficile est. Ferebatur ergo Pyraustæ animus, ad Virginitatem in Matrimonio. Hæc erat summa Votorum ejus.

(a) Hinc omnino corrumpit fundamentum adversæ sententiæ, quod matrimonium fuerit medium ineptum. Nam matrimonium continebatur, ut circumstantia necessaria in fine, quem intendebat:

bar: ideoque non ut medium, sed ut finis in mente Pyraustæ Matrimonium se habuit. Doctrinæ hæc sola dolosum, & sophisticum negantis sententiæ fundamentum demolitur. Repetant enim Adversarii; quare Pyraustæ imprudenter egit? Quia, inquit, Medium ineptum elegit, nempe matrimonium. Atqui in mente Pyraustæ matrimonium fuit circumstantia intrinseca Fini; & nomine Finis venire debet, non nomine Medii. Loquor de fine intrinseca, qui reciprocatur cum obiecto intento a Pyraustæ, nempe Virginitas connubialis: & in censu circumstantiarum dicitur, *Quid.*

Octavum Argumentum: Quoniam ex proxime dictis neque matrimonium solum, neque Virginitas sola fuit finis intentus a Pyraustæ; sed matrimonium cum Virginitate, hoc est Virginitas matrimonialis, ordinando tale Virgineum connubium ad Virgineum Matrimonium SS. Deiparæ cum S. Joseph, tanquam ad finem externum, quem, *Cur,* appellamus, vel iusto huic homini, volenti, & conanti hujusmodi bonum opus, negans opinio concedit donum Gratia; vel non concedit. Si concedit, cum alioquin negare nequeat arduum fuisse, & ad finem supernaturalem directum, neque, opinor, negabit, fuisse Heroicum. Si vero non concedit, Pelagianum, & Jansenianum in iudicando morem imitatur. Non negare Auxilia Gratia, aut nomine Gratia intelligere bona naturalia, quatenus a Deo nobis donata, Pelagianum est. Et Sancti Patres in interpretatione loci illius: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic; alius autem sic:* rejiciunt interpretationem illam, tanquam Pelagianam, quæ ejus farinæ homines per donum Dei naturales perfectiones intelligunt, non autem supernaturales, & a Deo Auctore Gratia descendentes: Rursus si auxilia Gratia inficietur, non minus cum Jansenistis sentire vincitur, hoc argumento: Multo magis Deus, ex hypothesi dati præcepti, tenetur dare Gratiam homini, ad adimplendum ipsum præceptum; quam ad adimplendum ullum consilium. Nam in ipsius præcepti impositione oppigneravit veluti Deus fidem suam pro dandis Auxiliis: ne impossibilia imperasse videretur. At non ita, aut certe multo minus tenetur ea dare in Consiliis: cum hæc non tam a Deo proponente, quam a nobis libere eligentibus, provenire videantur. Atqui Jansenistæ ajunt, Deum non dare justis volentibus, & conantibus servare aliqua ipsius præcepta, Gratiam suam, ad ipsa exequenda: sed ea ipsis secundum præsentem, quas habent, vires, esse impossibilia. Igitur multo magis Jansenistæ sentire, ac tenere coguntur Deum non dare justis volentibus, & conantibus amplecti aliqua consilia, Gratiam suam, ad eadem consilia exequenda. Jansenianum ergo est, dicere, Deum non dare Gratiam ad ardua, & difficilia consilia, ad finem supernaturalem elevata. Si enim per ipsos non dat Deus, quod magis debet; multo minus secundum ipsos Deus dabit, quod minus debet. Igitur si Adversaria opinio in Connubiis Pyraustanis ad finem supernaturalem elevata, divinæ Gratia Auxilia non recognoscat, Janseniana labe infecta est.

Nonum Argumentum: Bisariam imaginari possumus, quod Vir castus, & Virginitatis ornamentis jam decoratus elegerit matrimonium; Aut ad Virginitatem servandam: Aut ad Virginitatem ulterius in perfectionem promovendam. Prima imaginatio falsa, & absurda est; & a Pyraustæ actionibus longissime remota.

Si enim Virginitatem per totam fere ætatem suam, hoc est, ad sexagesimum usque annum, sine matrimoniali præsidio, valuit integram, at-

que illibatam custodire; quis sanæ mentis unquam putet; eum ad ipsam custodiendam matrimonium elegerit? Quare in antecessum tot Nuptias, & plane nobiles, sibi oblatas rejecisset; si jam servandæ Virginitati opportunas judicasset? Plane non imprudens modo, sed stolidus, amens, & mente captus dici deberet. Argumentum igitur pro ea parte nihil probat, quia nimis probat. Reliquum ergo est, nisi absurdas imaginationes, ridiculas, nullaque rationis umbra commendatas in animum inducere velimus; ut aliam dilemmatis partem, quæ rationi maxime consentanea est, amplectamur. Ergo Pyraustæ matrimonii statum amplexus est, non ad custodiendam Virginitatem, quod est immane, & inane commentum, sed ad eam ad heroicum gradum promovendam, ac promovendam.

Decimum Argumentum: Qui recte utitur prioribus Divinæ Gratia Auxiliis, ex hoc ipso disponitur ad consequendum Auxilia ulteriora; ac majora, ut est communis Theologorum Sententia. Atqui Pyraustæ recte usus fuit, ante sua Virginea connubia, prioribus Gratia Auxiliis, carnem subigendo, tentationes superando, & plures victorias, ac triumphos de feminis obtinendo. Igitur obtinuit in matrimonio Auxilia Divinæ Gratia ulteriora, ac majora. Neque matrimonio usus est ad simplicem Virginitatis custodiam; sed ad ulteriorem ejus & Heroicam, per majora Auxilia, perfectionem.

Undecimum est ab exemplo cæterarum Universitatum, seu Theologorum. Parisenses enim sententiam suam hisce conceptis verbis expressam ediderunt: *Pyraustam neque peccasse contra naturam, aut leges matrimonii: neque consensum esse imprudenter, aut temerarie se gessisse; sed potius heroice virtutis actus perfecisse. Quid favorabilius pro Causa Pyraustana dici poterat? Eandem sententiam, sed aliis verbis protulit Universitas tota Salmanticensis in Claustro pleno congregata. Cum enim questum esset: An Pyrausta (sunt verba Universitatis) primas, & secundas Nuptias contrahendo, animo se conservandi (si possibile foret) in casto, & Virginali connubio, ad inhar Sancti Patriarchæ Joseph cum SS. Sponsa Virgine Deiparæ; An scilicet bene se gesserit; licetque, & valide præfatas Nuptias contraxerit, Deputatis etc. Universitas in Claustro pleno affirmativè respondit. Determinando enim, quod bene se gessit; de prudentia, & heroicitate sententiam dixit: & determinando, quod licite, & valide; cæteris Pyraustani duplicis connubii qualitates complexa est, nempe, quod contrahendo, ut in casu, non peccavit; & contrahendo, valide contraxit.*

His igitur omnibus sedulo ac mature consideratis, æquis contrariam e diametro sententiam proferre audeat? Quis contra Parisenses dixerit, Pyraustam imprudenter, ac temerarie egisse: nedum heroica virtutis actus perfecisse? Quis contra Salmanticensem Universitatem effutiat, non solum Pyraustam non bene se gessisse; sed male, sed imprudenter, sed stolidè operatum fuisse? Ab hac infamiae nota, & ab omnium diceris defendite gloriam, ac nomen vestrum, Reverendissimi, atque Excellentissimi Patres: ut Sapientia vestra, quam suspicio, & quam semper sum admiratus, apud omnes incrementa laudum, atque existimationis recipiat.

Diluantur Adversæ partis Argumenta.

AD ultimum Controversiæ caput pervenimus, hoc est ad dissolutionem adversantium Argumentorum.

Primum, cui tota machina innititur; quantum quidem conicere potui, illud est, quod Pyrausta, ad custodiam suæ Virginitatis, inepitum elegerit medium, nempe Matrimonium: quippe quod eam custodiam non faciliorem, expeditioremque, sed reddat difficiliorem: atque ita egerit imprudentissime.

Subruimus jam a fundamentis hoc inane, atque immane commentum superius, argumento Nono. Negamus enim suppositum argumenti, quod ad custodiam Virginitatis, simpliciter, & absolute sumptæ, Pyrausta matrimonium elegerit. Sic enim non imprudentissimum tantum, sed amens, ac mente captus fuisset: quod tamen Adversarios non puto affirmaturos. Quare argumentum nihil probat, quia nimis probat. Elegit ergo matrimonium ad promovendam Virginitatem suam ad statum Heroicum, nempe ad eum statum, in quo magis ardua, ac difficilis esset Virginitatis custodia. Quare connubia non suscepit, ad custodiam Virginitatis simpliciter; sed ad custodiam Virginitatis connubialis: & matrimonium in hoc negotio non est medium, sed conditio, seu circumstantia objectiva; quæ, inter alias, circumstantia *Quid*, appellatur.

Secundum est: Virgineum Sanctissimæ Deiparæ cum S. Joseph Matrimonium, a quibusdam SS. PP. dicitur Inimitabile. Igitur imprudentissime Pyrausta illud sibi proposuit ad imitandum.

Duo continet Virgineum Deiparæ, & B. Joseph Matrimonium; scilicet Virginitatis custodiam; & fœderatam cum Virginitate Fœcunditatem. Quantum ad hoc secundum, Inimitabile est. Sed quantum ad primum, a multis susceptum fuit, genere, & sanctitate nobilissimis, tanquam præstantissimum exemplar suorum connubiorum: quibus Pyrausta elapso proxime sæculo accessit. Quantas autem Heroicas Virtutes Virgineum Deiparæ, & S. Joseph Matrimonium contineat (licet hæretici quidam eos obscurare tentaverint) nos non referemus; sed curiosos, piisque lectores ad SS. PP., de Sanctissimo Virgineis Connubio differentes, remittimus.

Tertium est: Virgo Deipara, & S. Joseph noverant ex Angeli monitu, quod Confors, cum quo contrahebatur, non erat copulam, seu debitum conjugale petiturus; atque ita certus erat uterque de compossibilitate Virginitatis, & matrimonii. At Pyrausta non noverat, neque certus erat, Sponsas, quas ducebat, non esse petitoras. Igitur connubia Pyrausta dici non possunt, prudenter contracta fuisse; sed omnia temere, atque imprudenter.

Resp. primo, argumentum carere debita paritate. Ut enim referunt multi SS. PP. & Historiographi, omni exceptione majores, Sanctissima Deipara a tenerioribus annis Votum Virginitatis conceperat; Spiritu Sancto Sponsam suam, Verbi matrem futuram, interius præveniente, atque excitante: ne cui, præter Deum, pretiosissimus ille Thesaurus committeretur. Sanctissima igitur Deipara Cœlesti per Angelum dispensatione opus habebat. Ait enim D. August. in libro de Sancta Viduitate, cap. 8. *Post Votum non tantum nabe, sed velle nubere peccatum est.* At Pyrausta hujusmodi per Angelum dispensatione non indigebat: cum nullius Voti reus esset; sed simplex tantum servandæ Virginitatis propositum conceperat.

Resp. secundo, interrogando Adversarios, num omnia alia matrimonia Virginea, in antecessum a Viris Sanctissimis inita, simili Angelorum monita opus habuerint. Non desunt enim, qui cum simili proposito Nuptias contraxerunt. Quod si non ita est, immerito Pyrausta carpitur, quod sine Angeli monitu connubia subjerit.

Resp. tertio, quod in matrimoniis Virgineis, quæ Dei nutu peraguntur, bonus exitus Gratiæ divinæ cooperanti commendandus est. Ut enim docet D. Augustinus, *cooperando perficit Deus, quod operando cepit: quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Gratiæ hujus cooperantis providentiam Pyraustanorum Connubiorum exitus declaravit; Quando Sponsa, forte in futurum a parentibus ad petendam debitum subornandæ, raptæ fuit, & Virginitatis Laureola donatæ; ne malitia mutaret intellectum illarum. Accedit etiam testimonium D. Th. 1. 2. q. de Gratiâ, ubi docet, necessario futurum esse, quod per Divinam gratiam dispositum fuerit; necessario inquam, ait S. Doctor, non necessitate naturali, sed necessitate infallibilitatis.

Quartum est eorum, qui damnant Pyraustana connubia, tanquam opera præsumptionis, nimique confidentiæ: quæ opera utique non solum Heroica non sunt, sed temeraria; sicut temerarius esset quicumque Claustralis Religiosus, ductus zelo salutis animarum, in medium lupanar sese projiciens, ut scorta illa, ac meretriculas, prædicatione verbi Dei, ad bonam frugem revocaret.

Sed respondendum est, divinæ Gratiæ cooperantis assistentiam iis solum præstari a Deo Sole in creato, *illuminante omnem hominem, venientem in hunc mundum*, qui ejus illustrationibus, quoque versum perenniter irradiantibus, obicem non ponunt, & fenestras non claudunt. Religiosus ergo ille, ne poneret obicem, seu non peccaret, primo certus esse deberet de suorum Superiorum permissione, ac licentia. Secundo, deberet in antecessum expertus esse Divinæ Gratiæ assistentis præsentiam; ad roborandam fidem, & confirmandam spem. Tertio, deberet de viribus Gratiæ. Quarto, & aggredi opus, fretus viribus Gratiæ. Quarto, per bonum usum præcedentium Divinæ Gratiæ Auxiliorum debuisset se preparare ad obinenda majora Gratiæ auxiliantis beneficia. Si his omnibus prædiis munitus conversionem illam aggrederetur; non dubito, quin prædicationem illam finem esset consecuturus. At si e contra, absque illis preparationibus, opus aggrederetur; non converterentur meretriculæ; sed perverterentur concionatores. Non ita vero de Pyrausta dici potest, qui libertatem suam obedientiæ voto nulli hominum mancipaverat, qui fiduciam non in viribus suis, sed in Divina Gratiâ posuerat; qui præterea antecesserit felicia similibus eventuum auspiciis, & divinorum Auxiliorum præsentiam multoties fuerat expertus.

Quintum & ultimum est, videri Pyraustam in hoc negotio tentasse Deum.

Sed qui sic opponunt, adeant D. Thomam, atque alios Theologos: & intelligent, tentare Deum non esse simpliciter se exponere periculo peccandi ex confidentia in Deum; sed id agere, ad experientiam sumendam de aliquo Divino Attribute. Pyrausta hoc non fecit, sed Virginitatis promovendæ, & ad Heroicum gradum perducendæ studio, atque amore illectus, Virginea sua Matrimonia contraxit.

Cæterum quantum interfit inter *caste blandiri*, quod habetur in libello dato pro documento *facti mirabilis*, & *subpalpare*, sive *suppalpare*, quorum alterutrum ab aliis susceptum audio, nemo non videt.

Faxit Deus, ut quæ pro conscientia, & veritate scripsimus, Deo Gratiarum, ac Virtutum omnium largitori grata sint primum: Deinde Serenissimæ Imperatrici Cœlorum Virginitatis Exemplari clarissimo, & Pyraustæ servo ejus, accepta: Demum purissimis S. Sedis Apostolicæ Doctrinis conformia. Cujus Correctioni præfens opusculum humiliter submitto, meque totam D. D. D.

GRÆCI THEOLOGI DE CHRISTO

Pascha suum præmature, atque in pane
fermentato celebrante

DISSERTATIO,
A THEOLOGO LATINO

CENSORIIS NOTIS

Dispuncta, & confutata.